Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2821
Quelle:
Copyright:

leget vnd neben offen ist vnd nyt oben, quae sub finem inserta sunt descriptioni Loculi, in quo depositum est *Christi* corpus, e *Beda* adductae. Autoris promissum: *nec allegoricis aut tropologicis sensibus deuotionem uestram fatigabo*, mox sub principium bonam spem facit de tota Tractatione.

VII. *fol.* 269. absque Autoris nomine *Sermo* alius *de Passione Domini*, qui incipit: *Inclinato capite emisit spiritum. Vt passionem dominicam intelligamus, dicendum est de passionis causa efficacia magnitudine quantitate memoria imitacione* &c. Atque his Exordii instar expeditis a Textu: *Egressus est trans torrentem cedron. Job.* XVIII. materiam ingreditur.

VIII. *fol.* 287. p. 2. absque titulo, Libellus *de XII. Doloribus B. V. Mariae*, qui incipit: *Primus dolor Marie est iste, de quo scribit Lucas, Cum Maria post natiuitatem filij sui LX. die quando presentauit filium suum in ierusalem* &c.

IX. *fol.* 298. *Beata*, ut e calce transscribo, *Passio Domini nostri Ihesu christi per horas* (distributa) *Magistri Heinrici de Hassia.* Initium: *In prima hora noctis christus discipulorum pedes lauit, suo corpore ipsos pauit* &c. *Bern. Pezius T. I. Thes. Anecd. Dissert. Isag.* p. 78. Nostri Tractatum *de Passione Domini per septem Horas Canonicas* e *Codd. Mss.* excitat, diversum utique a praesenti, qui XII. Noctis, totidemque Diei horas percurrit, et a nemine, quod sciam, memoratur.

X. *fol.* 306. *Sermo sermocinandus de doloribus morientium.* Brevis Expositio *quatuor Dolorum quos impius Peccator in fine patitur.* In illud: *Circumdederunt me gemitus mortis* &c. Adjecta sunt quaedam de *Resurrectione*, et 7. *Gestibus Christi* patientis.

XI. *fol.* 310. Breves duo *Sermones de Morte Christi* in illud: *Nos legem habemus et secundum legem debet mori quia filium dei se fecit. Job. 19.* Prior incipit: *Verba ista sunt populi iudaici qui nunquam in lege Dei perfecte ambulauit* &c. Alter: *Pater reuerendissime, et alii reuerendissimi patres et domini mei pro declaratione huius thematis atque huius sacri ewangelij duo mihi occurrunt querenda vtique et declaranda* &c. Cum et in priori *Dominos suos* identidem adpellet, eundem utriusque Autorem putem, qui ad calcem secundi subscribitur: *Jacobus de Terrano episcopus florentinus cubicularius bonifacij pape noni Anno 143* (1403) *Pontificatus anni 14. Jacobus* hic *Palladinus* prius Archiep. *Tarentinus Florentiam* translatus est, *Ughello* teste edit. *Venet.* 1718. T. III. *col.* 165. anno 1401. inde *Spoletum* 1410. De Scriptis Ejus nulla mentio.

Codex utrinque vestitur rhythmis quibusdam germanicis, quibus subjectum nomen *Hylprannd von Berenn* 1493. Ineunt: *Mein Schweygennd fraw Muter Stylle* &c. Levis momenti.